

*exulare debent, neque pro consequendo fine unquam impendenda. Et alibi: Superstitio notat fascinum, et implicite demonis concursum. Omnis superstitio implicat aliquid illiciti, fanatici, præsertim in Christiano. Superstitio omnis invitatur ad illicita omnia diabolica media, quantum enim a DEO abit Homo, tantum ad diabolum accedit. Quibus MANTVANI adde placet Verba: Medicus, inquentis, nunquam consulat ea, quæ in perniciem vergant animarum.*

*Absurda.*

(c) Vix operæ putamus esse pretium, ut prolixioribus curationum absurditatem sympatheticarum demonstremus verbis, cum ex jam prolatis exemplis quilibet manibus veluti palpare possit nostræ veritatem Sententiæ. Nonne enim jure dici ea merentur remedia absurda, inter quæ & morbos ejusmodi connexio, qualis inter asinum & lyram deprehenditur. Et potestne quidquam esse absurdius, quam ab aliquo expectare aliquid atque postulare, quod, cum ipse non habeat, alteri dare omnino non potest. Liceat nobis in præsentiarum remedium, quod Tussi curandæ inservire debet, sane absurdissimum, ex PLINII *Hist. Nat. L. 32. C. 8. fol. 566.* MARTINO SCHV-RIGIO in sua *Sialologia C. IV. §. 55.* citatum producere in medium. Coaxat ille, *ranam esse parvam, arborem scandentem & ex ea vociferantem, in cujus os si quis exspuat, ipsamque dimittat, Tussi liberari debeat.* Exhibilandum vero hanc Hominum stultitiam & absurdissimam quis non irrideat Credulitatem.

*Obscena.*

(d) Medicos inveniri posse, quis crederet, quos in tanta Remediorum optimorum copia, quando cum morbis est conflictandum, ad ejusmodi confugere non pudet medicamenta sympathetica, quæ, si eorum modo apud ægrum mentio injiceretur, huic ob teterrimam, quæ illa

CO-